

CAP. VI.

Bellum Punicum secundum.

Post primum Punicum bellum, vix quadriennii requies, ecce alterum bellum: **mi- nus**

SALMASTII.

Post primum Punicum bellum, vix quadriennii requies.] Vult quatuor tantum annorum spatium intercessisse inter Punicum bellum primum & secundum. Hoc falsissimum. Unde huic errorem hauserit noster, nescio, in historia tam clara certa- que. Fortea ex his Livii verbis: *His antius curis, ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanorum pacem, per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania argendo Punico imperio, gessit, ut apparet, majus curis, quanto quod gereret, agitare in antea bellum.* De Amilcare hæc dicuntur, Annibalidis patre, non de Annibale, qui, subrecentem pacem cum Romanis factam, per quinque annos bellum Africum gessit, deinde Hispanicum per alios annos novem. Hi sunt anni quatuordecim. Mortuo Amilcare Asdrubal, Amilcaris pater, octo annos imperium obtinuit, quod puer esset Annibal. Annos jam habemus viginti tres a fine Pnici primi belli, quo pax facta est, usque ad initium imperii Annibalidis. Quin & cum hoc Asdrubale, dum in imperio fuit, fœdus renovarunt Romani. At ubi dux declaratus est Annibal, quasi si mandatum sibi esset bellum cum Romanis, statim ad id se comparavit, ac Saguntam in causam belli arripuit. Fortasse noster quinque illos annos Africi belli somnabundus accepit pro inter-

vallo, quod fuit inter primum ac secundum Punicum bellum. Quid enim hæc aliud sibi voluit? *Post primum Punicum bellum vix quadriennii requies, ecce alterum bellum.* Certe post Africum bellum, quod sub recentem pacem Romanorum ab illo susceptum est, & quinque annos gestum est, Hispanicum bellum adgressus est. Sed non cum Romanis istud, verum in ea Hispaniæ parte gestum, quæ sub ditione Romanorum non erat.

VARRIORUM.

Bellum secundum Punicum scribunt fere omnes, tam Latini, quam Græci. Livius tota decade tertia. Plutarchus in vitæ Fabii, Scipionis, Marcelli, Hannibalidis, Flamini. Appianus in Libyca. (Probus in Hannibale.) Aulior de vit. illust. cap. 42. 43. 45. 48. 49. 50. Polybius. Eutropius in tertio. Orosius in quarto. Augustinus sæpe, maxime tamen 3. 19. Civit. Silius Italicus per totam. Quæ sparsim scribuntur ab aliis, sui loci adducuntur. *Cæsar.*

1. *Alterum bellum.]* Quod initum est anno pccxy. Solm. cap. 2. Idem fere sentit Orosius, 4. 14. *Cæsar.*

FRANCKENII.

1. *Vix quadriennii requies.]* Recte satis putat, quatuor fere annos quiesivisse Romanum, a tempore scilicet quo Jani porta secundum clausa est. Manlio Torquato, & Aulio Balbo, coll. anno dcccviii. **est**